

14.

Viro Clarissimo DD. Nic. Jacquinio Botanico eximio
s. pl. d. Car. Linnaeus.

Scripti ante aliquot dies, cum vero hoc ipso die Decatheon sua semina maturavit, nolui differre, quin recentissima pulcherrimae et exoptatae mitterem, cum certus sim quod Te mire pulcherrimis suis floribus recreabit, et ideoque mereantur mitti.

Si Cherleria aut Drypis apud vos dedere semina, quaeso in proximis literis mittas recentissima, cum ea quae accepi non germinarunt.

Mitto et pauca semina e planta omnium pulcherrima peruviana, quam Alstroemeriam dico, ab eo qui praeterito anno primos vidit in Europa flores, et semina ad me misit. Accepi hujus tantum unicam capsulam hoc anno, adeoque pauca mitto. Alstroemeriae radix fere tuberosa. Caulis similis Lillii sed brevior, flores figura Lillii, sed ex albo, purpureo et luteo pulcherrime variegati, fructus inferus. Apud vos sub dio crederem posse germinare.

Rescripsi ni fallor de minuta a Te missa planta, quod esset Saxifraga tridactylites.

Ex Tuo nomine et differentia non rite eruo notas, qua distinguatur Utricularia Tua a Pinguicula, dicas mihi num Calyx sit diphyllus, num in aquis crescat? num folliculi sint ad radicem ut in Europaeis, num folia pingua sint ut in Pinguicula? Figura in literis non aderat, quam dixisti.

Quando prodibit novum Tuum opus?

Vale . d. Upsaliae 1761, d. 10. Septembris.

Quaeso dicas mihi de monte altissimo Martinicae, num sit vere alpinus? num arbores nullae ibi crescere queant? num nix ibi diu duret? Quaenam plantae ibi observatae praeterquam Utricularia Tua.

Quem speraveram fore Hibiscum spinificem, erat H.